





wbs.

EXERCITATIO JVRIDICA,  
AD TIT. INSTIT.

DE

# POENA TEMERE LITIGANTIVM,

Qvam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
ELECTORATVS SAXONICI HEREDE,  
ETC. ETC.

IN ELECTORALI AD ALBIM ACADEMIA.

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO,

DN. GODOFREDO STRAUSSIO,

JCrō & Antecessore longe Celeberrimo Potentiss. Regis Polon. &  
Electoris Sax. in Summo Provocat. Senatu , nec non Serenissimorum Principum  
Anhalt.Servestan. Consiliario Aulico Splendidissimo,Facult. juridicæ in hac Universi-  
tate Ordinario, Decret. Prof. Publ. Curia Elector. Consistorii & Scabinatus.  
Affessore Gravissimo,

Domino & Patrono suo observantissime colendo ,

*In Auditorio fCtorum,*

Ad Diem XI. Octobris, An. 1703.

Publicæ ventilationi subjicit

AUCTOR & RESPONDENS

GOTTLOB BENJAMIN FRIZSCHE,

Pirn. Misn.

---

VITEBERGAE, PRELO CHRISTIANI GERDESIL

31

1703


8-

51

15-







J. N. D. N. J. C.



Um nulla major in civitate sit pestis, & nihil fere quod concordiam civiumque inter se consensum turbet magis atque exahuriat, quam litium frequentia, & diuturnitas, bene omnino sapienterque ii, qui jura olim condebat, fecerunt, dum, ne facile ad litigandum procederent homines, omnem curam nec non diligentiam Legislatori adhibendam esse, verecundamque cogitationem ejus qui lites execratur, non vituperandam, sed omni laude cohonestandam potius esse, optimo jure meritoque existimarunt, L. 4. §. 1. ff. de alien. judic. mutand. causa facta. Quorum vestigia secutus divus Imperator Justinianus illud sibi studio esse ipse fatetur, non tantum causæ litium ut præcidantur, lites exortæ confessim dirimantur, sed etiam ut temeritas tam agentium, quam eorum, cum quibus agitur, modo pecuniaria pœna, modo jurisjurandi religione, modo infamiae metu coercentur pr. 7. de pœna temere litigantium. Cujus Tituli explicationem cum in præsenti in me suscepimus, illamque publicæ Eruditorum censuræ sub-

A

jicere

jicere animum induxerim, ut vero omnia votis fatis-  
que secundis procedant, Summæ TRIADIS auxiliares  
imploro manus.

§. I.

Duae hujus tituli sunt partes, altera proponit re-  
medium, quo homines a temere litigando absterrane-  
tur, *L. 8. ff. de condit. Instit.* & ita Sacramenti religione  
litigiosa compescatur contentio, *L. 1. C. de Jurej. propt.*  
*calumn.* Nemo enim adeo immemor divinae præfus-  
mitur iræ, ut saluti propriæ ullum commodum antep-  
ponat. Altera hujus tituli pars agit de remedii ac mo-  
dis, quibus, quos temere aut incepisse litem aut per-  
severasse in eadem appareret, coercentur, & punian-  
tur. Ut autem de singulis justo agam ordine præ-  
tereundam minime esse differentiam, quam *Dn. Hop-*  
*pius ad b. t. pr. allegat.*, duxi, inter litigatorem Tem-  
erarium, & Calumniosum, ut, ille scilicet, dicatur is, qui  
sine probabili causa litigat, si quæstio forsan anceps  
& obscura, factumque ipsum sit dubium; hic vero qui  
repugnante conscientia scienter alicui per fraudem  
item movit, *L. 233. de V. S.* De utroque in hoc tit: im-  
primis autem de temerario agitur prout rubrica,  
itemque principium h. tit. indicat.

§. II.

Cum primam h. tit. partem jurisjurandi reli-  
gio absolvat, ea autem juramenti calumniæ nomine  
veniat, ordinis ratio exigit, ut primo de hoc juramento  
agam, deinceps vero ad alteram h. tit. partem progre-  
diar. *Quod si* autem primum in natales hujus jura-  
menti inquirere liceat, sciendum, illud apud veteres  
quidem jam olim usurpatum *L. 44. §. 4. famil. ercisc.*  
deinde in desvetudinem abiisse, revocatum vero po-  
stea

stea a Justiniano L. 2. C. de Jurejur. propt. calumn. Et sic  
recte quoad interpolationem L. 1. §. omnia enim nostra  
facimus, C. de V. J. E. Justinianus in c. l 2. se gloriatur  
authorem, sancit autem ibidem, ut uterque litigantium  
in exordio litis jurejurando affirmet, primum actor,  
se item non calumniæ causâ intendere sed bonam ju-  
stamque causam se habere, credere; deinde reus, quod  
firmiter sibi perswasum habeat, se bona ratione ad con-  
tradicendum niti, nec non optimo jure se defendere  
posse, L. 2. c. b. t. L. 14. §. 1. de judiciis. Nov. 49. c. ult. ubi  
reus jurare jubetur se dīnayav vovīcēv ῥ̄v̄ avrīsp̄nōw ēvāq  
t̄n̄s dīn̄s. Ex Constitutionibus Novellis ambo, nihil se  
prorsus differendi, vel corrumpendi causa fecisse fa-  
cturosve esse, affirmat Vinnius in Comment. ad J. b. t. §. 1.  
arg. Nov. 49. autb. Sacramentum, § autb. in isto C. de jurejur.  
propter calumn. Nov. 124. c. 1. autb. principales C. eod. Perez.  
ad d. tit. C. n. 3. ubi eum, qui hoc juramento utitur,  
etiamsi in causa deinceps non obtinuerit, perjurum  
tamen dici non posse, quia hocce juramentum magis  
opinionis five credulitatis quam assertionis five veri-  
tatis esse, affirmat. Addendum denique, hoc juramen-  
tum jure quoque Canonico receptum esse, c. fin. X. de  
juram. calumn. itemque jure Camerali, per R. J. de An.  
1654. §. 43. Et hac forma ut præstetur, decretum est.  
Dass sie nehmlich eine gerechte Sache zu haben glau-  
ben/ was sie fürbringen und begehrten/ nichts aus  
Gefährde oder böser Meynung/ noch zu Uffschub oder  
Verlängerung der Sachen/ sondern allein zur Noth-  
durft thun / die Wahrheit nicht verhalten / uff des  
Gegenheils Vorbringen und Erzehlung der Ge-  
schicht in allen seinen Umständen ohne Gefährde ant-  
worten/ und alsbald sie aus denen Beweizthumen

und sonst in progressu der Sachen befinden würden/ daß sie eine unrechte Sache hätten / darvon abscheiden / und sich deren gänglich entschlagen wollen.  
Non vero Saxonico Ord. Proc. Sax. tit. 33. junge tamen  
Decis. Elect. Noviss. 70. §. befehlen/ Magnif. Dn. Menck.  
Tract. Synopt. Instit. b. t. p. 172.

### §. III.

Definitur juramentum calumniæ, quod sit juramentum necessarium, L. 2. §. 4. C. de jurej. propt. column. quo quis affirmat, se credere, se habere justam vel agendi vel defendendi causam, nec calumniose in lite se versaturum esse, L. 44. §. 4. ff. familie ercisc. c. 1. & 2. de juram. column. in 6to. c. fin. X. eod. vid. Brunn. in Proc. Civili c. 15. n. 1. & 3. Germanice der End vor Gefährde/ Ord. Proc. Sax. tit. 33. ibique in Comm. Dn. Martini, n. 1.

### §. IV.

Dicitur juramentum necessarium, quoniam jure Civili etiam non petitum omnino præstandum L. 2. C. de jurej. propt. column. Jure vero Canonico in præjudicium judicis a partibus remitti non potest scil. expresse, ne remisio speciem collusionis præ se ferre videatur, L. 37. §. 3. & 4. ff. de partis bene tamen tacite nimirum non petendo, L. 37. §. ff. de jurej. c. 1. de juram. column. in 6to. auth. Principales §. 4. C. de jurej. propt. column. quoniam principaliter non ad substantiam judicii; sed ad excludendam tantum litigantium malitiam spectat. Liberum tamen integrumque est judicii, ut juramentum hoc, si frivole peti animadverterit, remitti possit. Merv. p. 2. Dec. 324. ne supervacuis juramentis onerentur litigatorum conscientiae, aut nomen Divini Numinis profanetur. Quo loco oritur quæstio : Num juramentum calumniæ statuto vel consve-

consuetudine abrogari possit? Affirmativæ sententiaæ partes defendit. *Lauterb. ad ff. tit. de jurejur.* (1.) arg. *L. 32. ff. de LL.* (2.) propter gravem perjurii metum *L. 2. in fin. C. de indic. vid. collend. c. 3. X. de cobab. cleric.* cum quo consentiunt Carpzovius aliisque summæ authoritatis viri, imprimis *Gailius L. i. obs. 85.* qui rationes contrarias adducit simul, præsertim, quod hoc juramentum calumniæ favore publico, ne veritas occultetur, & judicia dolosifraudulentisque litibus repleantur, sit introductum, atque ob id, ipsum, consuetudine contrarium disponente, tanquam favori publico derogante, irrationabile esse censendum; concludit tamen idem Gailius ex communi DD. opinione, si princeps rescripto suo juramentum calumniæ tollere potest, cum sit juris positivi, sequitur idem efficere posse consuetudinem immemorabilem, quæ vim reascripti seu legis habet, modo justa consuetudinis causa, ut puta perjurii evitandi subsit vid. *Dn. Gail. c. obs. cuius verba hic allegata.*

### §. V.

Dividitur juramentum istud in Generale & Speciale; Generale, quo litigantes jurant, se in tota causa nihil calumniandi animo, sed sincere, & bona fide suscepturn, *L. 2. C. de jurej. propt. column. Nov. 49. c. 3.* Moribus vero nostris juramentum hoc, nisi a judice ex officio, vel ad petitionem partis fuerit impositum, non præstatur amplius per *R. J. de An. 1554. §. über dieseß verordnen Wtr 43.* isto tamen casu excepto nequam sine processu nullitate omitti aut remitti potest, *Vultej. de judiciis L. 3. c. 2. n. 40. Gail. L. 1. obs. 84. 85.* Actor Generale juramentum calumniæ præstare recusans totam perdit causam, expensasque reo a judice

A 3

absfo-

absoluto mediante nimirum ex communi DD. opinione absolvitoria judicis sententia, *L. 2. §. 7. C. d. t. Gail. c. L. obs. 86. n. 1. Struv. Exerc. ad π. 17. tb. 25.* restituit, in quo a speciali calumniæ jurejurando differt. Reus vero præstationem denegans pro confessio & convicto habetur in his videlicet capitulois, quæ narratione sunt comprehensa, *d. L. 2. §. 7.* & ibi omnino *vid. Dn. Brunn.* ubi simul huic regulæ: Reus præstationem juramenti calumniæ detrectans pro confessio & convicto habetur: limitationes quasdam anneget, nempe quod locum non inveniat in criminalibus, cum ibi probatores oporteat esse luce meridiana clariores, neque porro si moram purgaverit, & ante sententiam declaratoriam damnum datum præstet, & interesse solvat, nam in penis legalibus mora purgari minime nequit ante sententiam, maxime cum hæc contumacia tantum sit facta, & adversarii conditio nondum deterior facta, per *L. 8. ff. si quis caution. in judic. s. f. tend.* Ceterum obiter notandum, quod nec si contumax ante sententiam moriatur recusationis pœna transeat ad ejus heredes, *arg. L. 29. pr. ff. de jure fisci* quamvis alias pœna a lege ipso jure illata, ad heredes transferatur *L. 5. ff. de calumn. L. 14. ff. de publican.* *vid. Lauterb. in Colleg. Theor. Pract. tit. de jurejur. tb. 90.*

#### §. VI.

Capita, in quibus hoc juramentum consistat, seqq. versiculis inclusa reperies:

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur,  
Etsi quæratur, verum non inficietur,  
Nil promittatur, nec falsa probatio detur,  
Ut lis tardetur, dilatio nulla petatur.  
Nunc moribus quid obtineat hodiernis, *vid. Hoppius ad*

*ad b. t. §. 1.* De Saxonia retento juramento calumniæ speciali, generale in desvetudinem abiisse, testatur *Carpz. p. 1. c. 12. d. 21. & in Proc. civil. tit. 12. art. 1. n. 7. Pbilipp. in usū Pract. Inst. b. Eclog. 34.* Prope tamen in Saxonia ad jusjurandum generale accedit juramentum malitiae, si ab initio litis fuerit impositum *Decis. 70. §. beschlen.*

### §. VII.

Desertur hoc juramentum, ut antea monui, vel a judice ex officio propter favorem publicum, cuius caufa potissimum introductum, vel ad partis petitionem; quo tamen loco Celeberrimus longe Dn. Stryk fatetur, se nullam invenire posse rationem, cur in Camera teste *Blumio in Proc. Camerali tit. 72. n. 4. & Gail. L. 1. obs. 54. n. 7.* fuerit receptum, ut petitio fieri debeat orenetus sive viva voce, adeo ut in scriptis facta præteriri poscit *R. J. de An. 1600. §. Als auch Unsere/ cum tamen illud quod in judicio scriptis fit, majori fieri soleat deliberatione, Dn. Stryk in annot. ad Lauterb. Compend. jur. tit. de jurej. ad verba. Viva voce.*

### §. VIII.

Exigitur hoc juramentum non quidem a judice in singulas caufas, quamquam cogebatur olim, *L. 14. pr. C. de judiciis* cum sufficiat hodie, eum initio officii jurare auth. bodie *C. de judic. Nov. 9. §. pen. Nov. 15. §. pen.* sed ab omnibus litigantibus cujuscunq; sexus ac dignitatis per *ord. camer. p. 1. tit. 25. Lauterb. ad ff. tit. de jurej.* Etiam clero, de jure quidem Canonico *c. 5. X. de jurej.* Cujus tenorem, quamvis contradicente Jure Civili *L. 25. C. de Episcop. & Cler. praxis sequitur, Universitate L. 2. §. 5. C. de jurej. propt. column. partium vice comparentibus, ut tutore, curatore L. 2. §. 2. C. eod. aliasque legi-*

legitimis administratoribus L. 2. auth. *principales* §. 2.  
6. C. eod. porro tam actoris quam rei heredes tenen-  
tur hoc juramentum præstare vid. *Wesemb.* ad d. tit. C.  
*sic quoque ordinatum in Constit. Elect. 24. p. 1.* pater quo-  
que quando nomine filii agit aut convenitur jurat  
de calunnia arg. L. 2. §. 2. C. d. t. Item exposcitur ab  
advocatis & procuratoribus, quod tamen in illis locis,  
ubi advocati ordinarii generali causas ad unum omnes  
jam sunt adstricti juramento, cessat, *Stryk ad Lauterb.*  
*tit. de jurej. tum* quod sufficiat bonis semel jurasse,  
improbos autem ne sæpe quidem repetitum jusjurandum  
coercent, tum, quia verendum, ne religiosiores Sa-  
cramenti frequentia ab advocationibus deterreantur.  
vid. tamen *R. J. de An. 1654. §. Über diese§.* itemque de  
advocatorum ordinariorum juramento uno ad sin-  
gulas causas vid. ord. *Camer. p. 1. tit. 62. § 64.* Quibus  
cit. locis & advocati & procuratores in singulis etiam  
causis jusjurandum calumniae subire coguntur. *Quod*  
& alibi fieri potest, si de singulari horum advocatorum  
procuratorumve calumnia haud obscure pateat ex  
actis, *Hopp. ad b. t. §. 1. in U. M.* Insuper, utrum hocce  
juramentum per procuratorem præstari possit, quæ-  
stionis est? Responsionem diversa dant jura. Jus  
enim Commune, per L. 2. §. 2. C. de jurej. propt. *calumn.*  
*Canonicum, c. 6. seqq. X. de juram. calumn.* Quod & in  
Camerali judicio observari, tradit *Petr. Heig. in Comm. ad*  
*J. b. t. n. 13.* affirmativam probant sententiam, modo  
procurator speciali sit instructus mandato, Jus e con-  
tra Saxonicum negativæ adstipulatur, præciseque de-  
siderat, in propria persona tale jusjurandum principi-  
pales ut præstent personæ, vid. Proc. *Ordnung.* tit. 18.  
*§. fin. Hoff-Gerichts-Ordnung Tit. Wenn ein auß-*  
*gelegter*

gelegter Eyd geleistet werden soll. fol. 206. sub fin.

§. IX.

Immunitate ab hujus jurisjurandi præstatione gaudent Electorum & statuum Imperii Consiliarii actuales, litem non proprio sed Principis nomine suscipientes, R. 7. de An. 1654. §. 43. ob juramentum, quod ab initio officii sui plerumque præstare tenentur. Item advocati & procuratores fisci, ob necessitatem officii, quæ eos a præsumptione calumniæ liberat, nisi alia nova eaque evidens forte calumniæ præsumtio emergat. Mev. p. 6. Dec. 138. Neque huic præstanto juramento obnoxios Dominum Feudi & Vasallum censet textus 2. feud. 33. §. 1. Immunitate quoque ab hocce juramento muniti sunt & parentes, & patroni, L. 8. §. 5. ff. Qui satisdare cogunt, quod injuriosum fuerit, patrem aut patronum a filio vel liberto calumniæ alicujus insimulari, arg. L. 6. §. pen. & L. 9. de obseq. parent. præstand. Nec est, cur objiciat quis nobis L. 2. §. 4. C. de jurej. propt. column. itemque Nov. 41. §. ult. cum facilis ex autoritate perlonge celeberrimi Dn. Bergeri ad eas leges sit responsio, legem scil. generalem ad personas speciatim exceptas non porrigi. vid. Resol. Lauterb. tit. de jurej. quæst. 4. p. m. 204. Econtra ab hac jurisjurandi calumniæ præstatione non liberati sunt Liberi & Libertini contra parentes, patronos agentes, Obrecb. de juram. c. 5. n. 10. c. 6. n. 5.

§. X.

Locum invenit hoc juramentum in omnibus causis, etiam summarii, feudalibus, matrimonialibus, spiritualibus, & criminalibus, vid. Lauterb. ad ff. tit. dejurei. Exceptio tamen est in reo in causa capitali vel corporali, Brunn. in Proc. Civ. c. 15. n. 14. sive summario, sive

B

ordi-

ordinario processu agatur, *Clement.* *sæpe* §. citatione de  
*V. S. Berlich. p. 1. concl. 3. n. 8.* Non autem præstatur in  
notoriis facti permanentis nec in confessis debitis, nec  
in Quæstionibus juris; ubicunque enim non opus est  
probatione, ibi juramento calumniæ non est locus  
vid. *Brunn. ad L. i. C. de jurej. propt. calumn.*

§. XI.

Præstare debent litigantes hoc juramentum co-  
ram judice ordinario, cui de causa cognoscendi facul-  
tas competit, tam in prima quam secunda instantia,  
quorum pertinet juramentum appellationis, quando  
appellans ejusque advocatus appellationem frivole  
non interposuisse jurejurando affirmant, quod in Ca-  
mera imprimis obtinet; Neque interest judex sit de-  
legatus, an compromissarius, *L. 2. §. 4. C. de jurej. pro-*  
*ppter calumn.* modo in loco judicii fiat, ubi tamen in illis  
personis occurrit exceptio, quibus vel dignitas vel  
fexus vel morbus domi jurare permittit; Hodie tamen  
per procuratorem ejusmodi jurisjurandi præstatio fie-  
ri solet; *R. J. de An. 1654. §. 43.* Jure Pontificio per pro-  
curatorem in animam domini jurare permisum est, quo  
tamen casu speciale requiritur mandatum; *c. cum cau-*  
*sam 6. X. de jurej. c. 3. §. pen. & ult. d.t. in 6to. Gail. L. 1. ob. 83.*  
*88. 89.* Quod mandatum solenni formula conceptum &  
scriptum esse debet, *d. R. J. §. 43.* Neque est, quod exci-  
pias, juramentum esse actum personalem, adeoque per-  
sonalem producere obligationem, quod libens conce-  
do; secus tamen esse ex istimo, ubi alter pro altero ju-  
randi mandatum habet, tunc enim mandans perinde  
ac ex contractibus obligatur, qui & alterius nomine ce-  
lebrari possunt. Quod vero jam de præstatione jura-  
menti per procuratorem dictum, non viget in Saxo-  
nia,

nia, vid. Proc. **Ordnung** tit. 18. §. fin. De cœtero jure  
civili nomine universitatis hocce juramentum praestat  
major vel idonea ejus pars, L. 2. §. 5. in fin. C. de jurej.  
propt. column. Quod fere conspirat cum jure & Ca-  
merali, & Sax. Electorali, quo tres vel quatuor ex se-  
nioribus, quibus res melius comperta, non vero Syndi-  
cus, id praestare debent, die Cammer = Gerichts-  
**Ordnung** p. 2. tit. 10. Constat. Elekt. 13. p. 1. quamvis aliud  
jure Canonico statutum legatur c. 4. X. de jurej. Berlich.  
p. 1. concl. 31. n. 23.

### §. XII.

Solet hoc juramentum regulariter post litis con-  
testationem praestari, quoniam ad totam causam per-  
tinet, quæ post Litem contestatam in judicium pro-  
prie deducta esse censetur. Etsi ante illam super ex-  
ceptione dilatoria quandoque etiam praestari soleat.  
Quod vero in Camera sub poena nullitatis receptum,  
nisi post litis contestationem repetatur, f. A. P. c. 12. §. 3.  
Quod si vero omissum sit plane, ejus petitioni usque  
ad causæ conclusionem adhuc locus patet, c. 1. pr. de  
jurej. in 6to. R. f. de An. 1654. Cœterum an juramen-  
tum calumniæ exactum & non praestitum, processum  
vitiet, quæritur? Resp. quod sic, & sententia hoc ca-  
su lata ipso jure fit nulla, & nec partes, nec judex il-  
lud sine nullitate omittere valent, quia hac ratione est  
de substantia judicii, vid. Gail. L. 1. obs. 84. Lauterb. de  
jurej. ad ff. Notandum interim, effectum hujus jura-  
menti in eo consistere, ut quidem a suspicione calu-  
mniæ, non vero ipsa calumnia liberet, unde fieri solet,  
ut nihilominus temere litigans in expensas conde-  
mnari L. 79. ff. de judic. & perjurium poena arbitraria,  
puta fustigationis L. si duo §. ult. de jurej. L. 16. C. ex

quib. caus. infam. &c. infamiae L. si quis major. C. de trans-  
act. L. pen. C. de dignit. quin & lingvam illis abscindi so-  
lenne quandoque fuit, vid. VVesenb. ad tit. C. de jurej  
propt. calumn. puniri posit.

### §. XIII.

Restat de prima h. tit. parte ut brevibus natu-  
ram & indolem juramenti calumniæ specialis intuear,  
quod in certis tantummodo actibus & singulis judicij  
partibus exigitur, L. I. 2. cum toto tit. C. de jurej. propt.  
calumn. L. 8. §. 1. ff. qui satisd. Imponitur a judge ex  
officio, vel exigitur a parte adversa (L) ex Legis dispo-  
sitione juramentum judiciale alteri deferenti, L. 34. §. 4.  
ff. de jurej. Carpz. p. I. c. 12. d. 23. Et hoc etiam obtinet,  
etiamsi reus juramentum retulerit, tunc enim actor  
utrumque tam litis Decisorium, quam juramentum ca-  
lumniæ speciale præstare tenetur, vid. Proc. tit. 18. Ferner.  
Formula jurandi sic concipi potest: *Daz Kläger durch  
Zuschreibung des Eydes Beklagten Gewissen gefährli-  
cher Weise nicht gerühret / sondern solches zu seiner  
Nothdurft gethan/ oder Er darfür halte/ daz solches  
von Ihm billig geschehen. Carpz. in Proc. tit. II. art. I. n. 19.  
seqq.* Quo loco monendum, si actor reo juramentum  
litis decisorum deferat, juramentum calumniæ spe-  
ciale intra octo dies a tempore, quo sententia, per  
quam quis iussus est juramentum præstare, vires rei  
judicatae confecuta est, computandos, ut ab eo exige-  
tur, non esse necesse, hoc enim juramentum octidua-  
næ præscriptioni non subjacet. vid. Dec. Nov. 70. quæ de-  
rogat ord. Proc. Sax. tit. 18. §. *Wenn nun also ein nem.*  
Ceterum si juramentum vel a lege vel a judge de-  
feratur puta suppletorium, purgatorium, jura-  
mentum calumniæ peti nequit vid. Carpz. p. I. c. 12.  
d. 25.

d. 25. (2.) ob suspicionem calumniæ ; & sic concipitur juramentum, *Ich beschwere / daß ich dasjenige/ was wider N. N. bishero in den Gerichten vorgebracht/ auch weiter vorbringen und begehrten werde/ nicht aus Gefährde oder böser Meynung/ noch zu Verlängerung der Sachen/ sondern allein zur Nothdurft thue.* Hinc Dn. Hoppius sequentem conficit regulam : *Quotiescumque contra aliquem est presumpcio, quod malitia aliquod petat, aut proponat, toties (Licet antea juramentum generale jam fuerit praestitum) locus est juramento malitia. non obstat Nov. 9. c. f. quia justa subest causa, quæ svadet, ut super speciali articulo hoc juramentum deferatur, Nov. 73. c. 3, Carpz. p. 1. const. 12.*  
d. 23. n. 6. *segg. e. g.* si actor vel reus adversario litis decisorum deferat juramentum, si quis petat editionem rationum argentarii, vel cautionem de damno infecto, vel testamenti exhibitionem, vel instrumenti editionem in casu L. 21. C. de fide instrum. vel comparationem literarum, vel nunciet novum opus, vel offerat satisfactionem in alio loco, item in casu L. 15. ff. ad Exhib. vid. Du. Lauterb. in Colleg. Theor. Prac. tit. de jurej. tb. 39.

§. XIV.

Jure Canonico juramenti malitia nomine venire solet juramentum calumniæ speciale. Qui autem de malitia jurare recusat, respectu illius articuli super quo jurare debuit habetur pro confessio, ita ut articuli actoris, itemque exceptiones rei, etiam si maxime revelantes sint neque recipi, neque attendi a judice debeant, si per sententiam nimirum jurare iussus, juramenti præstationem detrectat, c. f. de confess. in 6to. L. sanc-  
cimus C. de jud. Quoties vero ille, qui juramentum judiciale parti adverſæ detulit, de calumnia jurare recu-

sat, vel in termino ad jurandum de calumnia præfixo non comparet, toties principale habetur pro præstito L. 37. ff. de jurejur. Lauterb. in Colleg. Theor. Pract. ad n. d. t. tb. 40. modo contumaciæ accusatio & prævia partis præsentis legitima petitio præcedat, alias pro præstito vix habebitur quoniam hoc punctum jus partis concernit.

### §. XV.

De Saxonia notandum, abrogato ibi juramento calumniæ generali O. P. S. tit. 33. Philipp. ad Dec. Nov. 70. obf. i. speciale esse retentum. Quod an recte factum, disputant DD. Treutler. vol. 1. Exer. 21. tb. 3. L. C. sentit, hanc abrogationem carere ratione; contrarium vero facile potest sustineri, quia Saxonici nempe mores parum curant generale calumniæ juramentum, & ne leges perjuriis ministrent occasionem, melius, rectiusque abolitum, quam esse retentum credunt. *Gadenus in Proc. judic.* Glossam illam originalem nominat diabolicam; ego potius illam esse Christianam existimo, objuramentorum evitationem. Illud speciale juramentum sub voce juramenti malitiæ in quavis parte ac tempore vel ab ipsis partibus vel ab eorum advocatis quandoque & procuratoribus exigitur, *Proc. Ordin. tit. 33. Resol. Grav. de An. 1661. tit. von Justitię Sachen §. ingieichen und zum zwölffsten/ vid. Philipp. & Martini ad d. ord. Proc. tit. 33. n. 16. 17. 28. 34.* Quod tamen ultimum eo tantummodo casu procedere existimo, quando de singulari advocatorum calumnia ex actis appareat, alias enim illi secundum tenorem Mand. Elector. de Anno 1691. generale præmisso a Collegio Juridico facto examine perhibent juramentum, hac forma, *Ihr solltet gereden und gesoben;* *Demach*

nach der Durchlauchtigste Churfürst zu Sachsen und  
Burgräff zu Magdeburg / r. Unser gnädigster  
Churfürst und Herr / r. Euch die Praxin in Dero  
Churfürstenthum und incorporirten Landen gnädigst  
verstattet / daß ihr keine Sache/ es sey denn/ daß  
derselben Beschaffenheit von Euch wohl erwogen/ an-  
nehmen/ diejenigen aber/ die ihr böse und ungegrün-  
det befindet/ gleich Anfangs von euch weisen/ auch  
hernach die/ so ihr zu führen auff euch nehmen werdet/  
Euch mit allem treuen Fleiß angelegen seyn lassen/  
derselben Nothdurft wohl erwegen/ und sie geschick-  
lich und förmlich/ auch so viel nur möglich in aller  
Kürze vorbringen/ ja in allen Puncten dabey Euch  
also bezeigen/ und solche Sachen nicht anders führen  
und tractiren wollet/ als wenn sie Euer eigen wären.  
Insonderheit sollet ihr euch alles dessen/ so zu einiger  
boschlichen Verzögerung der Sachen gerichtet/ gäng-  
lich enthalten/ vielmehr alle Processe und Sachen/ in  
welchen ihr Klägern oder Beklagten dienen werdet/  
ohne einige Tergiversation/ so viel nur möglich/ und  
mit Beiseitigung aller zum Verschleiß gereichenden  
Ausflüchte/ zum Ende beförtern. Ingleichen/ da in  
progressu/ daß die Sache in Rechten nicht begründet  
wäre/ ihr wahrnehmen sollet/ solche alsbald von euch  
thun/ und eures eigenen Nutzes halber dem Part  
keine vergebliche Hoffnung machen/ sondern die Um-  
stände/ mit Fleiß und mit Grunde ihm zu Gemüthe  
führen/ auch darauff verwarnen/ daß er sich lieber  
selbst weise/ als in vergebene Unkosten führe. Und  
wie ingemein und in allen Sachen/ so euch werden  
anvertraut werden/ ihr zu förderst/ wenn sie zweif-  
selhaftig sind/ mit allen Kräften/ daß sie in der Gü-  
te

te möchten beygeleget werden / bemühet seyn sollet/  
also vornehmlich in Sachen / so zwischen Obrigkeit und  
Unterthanen / Seel-Sorgern und Beicht-Kindern /  
Mann und Weib / wie auch nahen Anverwandten sich  
verhalten / vor allen Dingen die Leute / die euch ihnen  
zu dienen verlangen werden / mit allen möglichsten  
Fleiß zu gebührenden Gehorsam / und sich selbst un-  
ter einander der Billigkeit nach zu vergleichen verma-  
hen / euch auch derselben Sachen anders nicht unter-  
winden / es sei denn / daß ihr scheinlichen befindet / daß  
die Leute gut Zug und Recht dazu haben / außer dem  
aber euch solcher Sachen gänglich entschlagen / die Par-  
theyen mit Gebühren nicht übersezgen / keine Proceszen  
oder Sachen redimiren oder an euch handeln / und  
schlüsslichen / mit dem andern Theile / so wohl bey  
währendem Patrocinio / als wenn solches aufhört /  
keinesweges colludiren / und weder per directum  
noch per indirectum dem andern Theile / mit dem / so  
ihr von der Sache erfahren / an die Hand gehen / oder  
ihm part davon geben wollet.

Ehd :

Alles / was ich geredt und gelobet habe / wie mir  
das mit unterschiedlichen Worten und Puncten für-  
gelesen und fürgesaget worden ist / das will ich stet / fest /  
unverbrüchlich / auch getreulich / und ohne Gefahrde  
halten / Als mir GOTT helfe / durch JESUM  
Christum seinen Sohn / unsern HERRN.

§. XVI.

§. XVI. Explicatis iis, quæ ad primam h. tit.  
partem pertinebant, sequitur nunc svadente methodo,  
ut quæ ad secundam spectant exponamus & modos,  
quibus temeritas litigantium coerceatur extrinsecus,  
evol-

evolvarnus; Inter quos primum occupat locum pœna pecuniaria, quæ est vel generalis; Et jure quidem veteri actor in partem litis decimam multabatur, idque per actionem veterem calumniæ, quæ contrahitur ex sponsionibus, quibus veteres Romani, ut litigatores se invicem provocarunt, & pecuniam depoſuerunt, quam victor recuperabat, victus amittebat, referente Varrone *L. 4. de Lingua Latina* quam Justinianus Imperator §. I. f. b. t. licet desvetudine jam obliteratam, abrogavit; Jure autem novo, victus damnum & impensas litis præcedente in judicialibus, (quales sunt judicantium mercedes Urtheilgeld / quæque notariis & scribis judiciorum pro citationibus, examinatione testium, aut conscribendis actis debentur) in judiciis superioribus harum terrarum nulla, in extra-judicialibus (ut sunt viatica & salario advocatorum, Gehrung / advocatione Lohn) aliqua judicis moderatione *L. 9. C. unde vi, L. 15. ff. de judic. ubi Brunn. num. 10. Rec. Imp. de An. 1654. §. 154.* victori refundere cogitur, nec prodest vieto, quod juramentum calumniæ præstiterit, quippe quod pœnam pecuniariam non tollit, sed nihilominus adhuc ei imputari potest, quod suum adversarium temere in jus vocaverit, quia ejusmodi jusjurandum purgat quidem suspicionem doli & calumniæ, non vero culpæ & temeritatis litigandi, quæ sola ad condemnandum in expensas sufficit *L. 79. ff. de judic. ibique Brunnem. est.* Neque vieto conductit porro, si in procuratorem suum culpam & retardationem processus transferat, *Mev. p. 5. Dec. 115.* Victus autem tum deum in damna & expensas condemnatur, si justas & probabiles litis suæ causas allegare non yalet, quæ causæ in jure civili determinatae

C

non

non reperiuntur, sed earum designatio prudentis judicis arbitrio relinquenda, *Hopp. ad b. t. §. 1.* Notandum insuper toties victum a refusione expensarum liberari, quoties causa, de qua litigatur, JCtorum variis agitatur opinionibus, & victus responsum aliquod vel peritum Juris pro se habeat, *L. 79. ff. de judiciis. Gail. L. 1. obs. 152. num. 6.*

### §. XVII.

Jure Saxonico olim victori tantum necessariae & judiciales expensae adjudicabantur. Hodie vero jure Novissimo sanctum, ut etiam extrajudicialium expensarum ratio habeatur, ita, ut victor expensas ordine liquidet, & designet, easque per judicem moderari sine juramento petat, quo casu si judex expensas taxat & moderatur, victor non habet necesse, taxatas expensas juramento confirmare, sed illæ eisim-pliciter debentur, vigore *Elector. Constit. 31. p. 1. add. die N. S. O. tit. 37. §. wenn denn.* Cœterum usu Föri (secus in Camera, qua jus floret commune, ibi enim haud petitæ adjudicantur expensæ. *Gail. L. 1. obs. 151. num. 21.*) receptum, victum in expensas aliter non condemnari, nisi ab adversa parte fuerint petitæ, *vid. ord. Proc. tit. 36. §. So wollen wir / verb. auf des Gegenparts Bitt und Begehrten/ quamvis etiam iusta ex causa in expensas positit judex victum condemnare ex officio Ord. alleg. verb. doch zu des Richters ic. quo tamen casu non tenetur parti, si condemnationem in expensas neglexerit. Si vero petitæ fuerint expensæ, tunc omnino tenebitur Judex Carpz. in Proc. tit. 24. art. 1. n. 32.* Quæ tamen petitæ intelliguntur, modo adjecta libello sit clausula salutaris, ut super omnibus optimo quoque jure, jus & justitia administretur

stretur *Gail.* L. 3. obf. 151. *Mynsing.* L. 4. obf. 55. Cessat vero hoc casu regressus ad judicem nomine expensarum, si victor judicis sententiæ, quæ mentionem adjudicationis expensarum facit nullam, acquierit, nec per leuterationem vel appellationem à viribus rei judicatae illam suspenderit; Censetur enim in omissionem tunc consenſisse *Carpz.* in Proc. tit. 24. art. 1. num. 5. art.

2. num. 25.

### §. XVIII.

Specialis poena pecuniaria est, quæ imponitur actori, parentes & patronos eorumque liberos sine venia in jus vocanti ad summam 50. solidorum §. fin. *I.b.t.* Reo vero dictatur in quibusdam casibus ubi ex inficiatione lis crescit, & quidem datur actio in amplius quam in simulum, vel ex postfacto, ob inficiationem damni injuria dati, depositi miserabilis, & piorum legatorum, vel ab initio, ut actio furti *Vinnius* ad §. 19. *J. de furtis.*

### §. XIX.

Coeretur denique temeritas litigantium infamia, quæ est macula ex turpi illicoque factō contracta, propter quam personæ existimatio apud alios læditur, L. 20. *C. ex quib. cauf. infam.* L. 5. §. 1. ff. *de extraord. cognit.* *Lauterb.* ad ff. qui not. infam. Estque vel juris vel facti; Quam divisionem tanquam juri nostro incognitam licet nonnulli rejicient, atramen res ipsa multis evidentissimis juris probari potest rationibus, quas adducit *Wesenb.* ad ff. tit. de bis qui not. infam. n. 2. non igitur est de verbis ut litigemus, ubi de re constat.

### §. XX.

Infamia juris est, qua scil. existimatio ex deli-

C 2

cto

Et nostro authoritate Legum imminuitur ; Et qui-  
dem vel immediate cum tale quid notorie commis-  
sum est , quod nulla judicis sententia exspectata Le-  
ges infamia notant , v. c. in scenam prodeentes lucri  
causa , quales sunt hodie funambuli , mimi & histrio-  
nes , aliam vero rationem honestarum comediarum  
& operarum ; ut vocari solent , esse monet *Dn. Stryk.*  
*U. M. II. b. I. §. 78.* Lenocinium facientes , Mulierem li-  
beram corpore quæstum facientem ; Viduam quæ  
marito mortuo antequam partum ediderit , aut intra  
annum Luctus sine principis concesione secunda  
vota ( secus est in sponsalibus ) contraxit ; & qui sci-  
enter ac proprio motu illam duxit , & parentes illo-  
rum , qui ab initio hoc sunt passi , etiam si maritus ali-  
as non fuerit lugendus ; Neque enim propterea ces-  
sat ratio legis prohibitivæ , quæ in incertitudine proliis  
consistit , vid. Lauterb. *ad ff. tit. de bis qui not. inf.* Quæ  
ultima infamia jure *Can. c. pen. & fin. X. de secund. nupt.*  
& hodie non observatur , sed arbitrarie ejusmodi fe-  
stinatae nuptiæ puniuntur , sic in Sax. Elect. non solum  
in vidua intra annum luctus , sed & in viduo intra se-  
mestre spatiū a tempore conjugis defunctæ nuptias  
contrahente locum habet hæc arbitraria poena , nisi for-  
taffe dispensatio intervenerit . *vid. ord. Matrim. Elec. Sax.*  
*de A. 1624. §. 5. in fin.* vel mediate per sententiam con-  
demnatoriam , prout videlicet facta quædam non sunt  
notoria , sed clam commissa , ita , ut haud plane negari aut  
specie faltem aliqua excusari palliarique possunt .

### §. XXI.

Infamia facti est macula exturpi facto sine juris  
authoritate contracta , quæ existimationem apud gra-  
ves & honestos viros laedit , Lauterb. *ad ff. d. t.* Exem-  
pla

pla infamiae facti occurunt in **L. 25.** & ad **L. Jul. de adult.**  
qua continetur si quis ancillam jure civile sic dictam,  
stupraverit, turpe committit factum, quia tamen ma-  
culam inde ortam Lex non confirmat, ideo talis de  
jure civili infamiam juris non incurrit, opinio tamen  
ejus gravata esse dicitur, aliud in **L. 56. ff. pro socio,** **L.**  
*fin. de servo corrupto;* Coeterum obiter addo, quod  
Exemplum infamiae juris & facti simul certo nempe  
respectu sit in furto, Furtum enim regulariter infa-  
mat infamia juris, interdum vero puta respectu uxori  
infamia saltem facti, quod posteriori casu mitiori  
dicitur vocabulo amotio **L. 2. ff. rerum amot.** non fur-  
tum, in honorem & reverentiam matrimonii. Porro  
noto, quod illescīl. infamis jure appetetur, *der berüch-*  
*tig item anrüchtig ist/ contra vero infamis facto salu-*  
*telur, welcher sich prostituit.*

§. XII.

Contrahitur infamia I.) condemnatione ex deli-  
cto furti vi honorum raptorum, dolii & injuria, §. 2. **I.**  
**b. t.** quoniam in his delictis agitur de fiderupta, i.e.  
perfidia & dolus in illis commissus est **L. 5. ff. depositi.**  
Dolus autem ita exosus est, ut nemini non solum pa-  
trocrinari, sed etiam infamiam secum portare debeat  
**L. 1. §. 4. ff. de dolo II.**) contrahitur infamia ob dolum  
condemnatione ex contractu, in quo de singulari fi-  
de, ad quam alter contrahentium ab initio respexit  
rupta agitur, in actione quidem directa, tutelae, man-  
dati, depositi, societatis, quia ei, cui actio directa con-  
petit, directo & principaliter consulere voluerunt ju-  
ra, ne re sua defraudaretur, **L. 17. §. 1. L. 18. §. 4. ff. com-**  
*mod.* Cur vero idem in aliis contractibus non obti-  
neat, vid. *Bacov. ad J. b. t.* Hanc rationem reddit

**Dn. Hopp.** quia in contractibus aliis non principaliter de dolo, sed de præstatione ejus, ad quod quis per contractum se obligavit, quæstio est, ob id ergo, quod incidenter fatem in considerationem venit, non debet quis infamia notari. Ceterum ut quis ex quatuor recensitis contractibus, infamis condemnerur, necessario, dolus & perfidia requiritur, culpa enim ne lata quidem sufficit arg. §. 6. 7. de suspectis tutor.

§. XXIII.

Quod vero dictum, locum tantum habet in actionibus directis, secus autem est in contrariis, qui enim contrario iudicio est condemnatus ex his memoratis quatuor contractibus, non sit infamis, quoniam hic non de dolo seu perfidia, sed fatem interesse h. e. indemnitate & expensis recipiendis agitur, L. 6. §. ult. de bis qui not. infam. ubi autem nullus dolus, perfidiae nulla, ibi infamia etiam locum non habet L. 24. de dolo. Famosa tamen limitatio est, nisi æque dolus in contraria actione vindicetur, cuiusmodi exemplum occurrit fere unicum in L. 6. § 5. ff. de bis qui not. infam. scil. si fidejussor ex mandato pro principali solverit, & debitor actione contraria conventus, solutum restituere nolit, ubi fidem ipsi fidejussori datam rumpit, eaque propter infamiam incurrit, quod probe contra morosos debitores observandum.

§. XXIV.

Porro oritur infamia extranactione partis spontanea in delictis, quia ea confessionis instar est, qui autem crimen fatetur, pro iudicato habetur L. 23. ff. de confess. & eadem, qua ille, qui a judice condemnatus est, pena plectitur. Interim distinguendum, an delictum, de quo quis paciscitur, in se & sua natura tur-

turpe sit, & ob turpem pactionem infames fiunt, an vero paciscatur super contractu, ubi humanius pactus præsumitur, non super dolo, sed super eo quod alterius interest; Unde tutissimum, si authoritate Magistratus transfigatur. *L. 6. §. 3. ff. de bis, qui not. inf. Gail. L. 2. obs. 102. n. 13. Stryk. Cant. Contr. Sect. 3. cap. 7. §. II. 12.*

### §. XXV.

Cum infamia affinitatem quandam habet levis notæ macula, quæ ex sordido vitæ genere contrahitur, per sonisque vilibus annumerat aliquem; Humiles in jure nostro honestioribus opponuntur, & dicuntur a genere vitæ plebejo, & tenuitate facultatum & fortunarum; Hac levis notæ macula asperfi sunt spurii & alii illegitimi. Hinc & jure Divino, Canonico ad sacros non admittuntur ordines, *Deut. 23. vers. 2. c. 13. X. qui fil. sint. legit.* Quo loco tangenda est quæstio: An ex spuriis legitime nati, hac laborent macula, Neg. quia macula patri inhærens non descendit in filios, etiamsi juris infamia laborent parentes, id tamen filii objici nequit, & si quis liberis supplicium paternum objicit, injuriarum tenetur. *arg. ord. Crim. Car. V. art. 110.* quæ loquitur de infamia propria, multo magis vero tenebitur, qui alicui alienam objicit infamiam.

### §. XXVI.

Porro notæ levis macula laborant carnifices, excoriatores & quibusdam in locis lictores. Quo referendas quoque esse censeo ministras diversiorum, utpote quæ in *L. 29. C. ad L. Jul. de adult.* dicuntur viiles, item obeuentes lyris & cantuiculis, quos R. J. vocant *ein leichtfertiges Volk.* E contra huc non per-

pertinent illorum liberi, nisi ipsi quoque sectentur  
fordidum vitæ paternæ genus. Neque horum nu-  
mero annumeratur, qui imprægnatam ab alio duxit,  
*Carpz. p. 2. cons. 6. d. 14.* Nec obstat vulgi opinio se-  
cundum proverbium: *Wer eine Hure nimmt/ ist  
ein Schelm/ oder will einer werden/* namque ea, &  
ratione caret, & auctoritate cordationum destituitur.  
Imo jus Canonicum ejusmodi meritricem ducentem  
laudat, dicitque illum egregium charitatis opus ex-  
ercuisse, *cap. 20. desp. t. integras §. 32. qv. 1.* Ne-  
que porro levis notæ maculam subit, qui torturam  
fustinuit, *vid. L. 22. ff. 24. C. de bis qui not. inf. dissen-*  
*tit quidem Brunn. ad L. 14. C. d. t.*

### §. XXVII.

Aboletur vero juris infamia I. per restitutionem  
in integrum, *L. 2. ff. de senat. Nov. 129. pref.* Probe ta-  
men mentem Principis restituentis hoc passu atten-  
dendam esse afferit *Schöpfer. ad. tit. ff. de his qui not.*  
*inf.* quia plenissima requiritur restitutio, ita ut prin-  
ceps famam relegato cum infamia vel deportato re-  
stituisse non præsumatur, quamvis facultatem rede-  
undi ipsi concesserit, *L. 7. C. de sent. pass. L. 13. C. de*  
*nupt.* ubi fœminam restituit Imperator scenicam, quæ  
est famosa, & pereleganter docet, quod Deum imi-  
tari debeamus, qui peccata hominibus condonat quo-  
tidie.

### §. XXVIII.

Nihil interim interest, Imperator ipse immedia-  
te, an vero mediate per Comitem nimirum Palati-  
num hac restituendi famam facultate condecoratum,  
restituat. Valet etiam status Imperii restituere, hac  
tamen ratione effectus differentia, ut restitutio Impe-  
rato-

ratoris sive immedieate sive mediate facta valeat per totum Imperium, contra vero status Imperii cuiusdam restitutio effectum sortiatur tantum per solam eisdem provinciam.

### §. XXIX.

Porro infamia juris deletur certo temporis lapsu, si pena temporalis famosa ex arbitraria causa imponatur *L. 3. C. b. t.* secus si pena constituta sit ex causa sua natura famosa, nisi pena ordinaria ipsa infamia sit gravior, & ad publicam spectet vindictam. *vid. Lauterb. in Colleg. Theor. Pract. ad ff. h. t. §. 23.* quoniam tum penae gravitas, cum famae integritate compensatur.

### §. XXX.

Evitatur infamia, quotiescumque reus in judiciis famosis civilibus, & in iis criminalibus, ubi procurator admittitur puta, cum poena illorum pecuniaria sit, & relegatione minor, litigat per procuratorem *Wesemb. ad. d. t. n. 9.* toties infamis non fit, quia sententia non in principalem ipsum, sed procuratorem fertur; nam nec is incurrit infamiam, quia nihil admisit, nec principalis, quia ipse non est condemnatus. Quae regula tamen fallit iis in locis, ubi sententia non contra procuratorem, sed ipsum et principalem ferri solet. Sicut in Saxonia ad unum omnes sententiae definitivae non in Procuratorem; Sed in ipsum principalem ferri consueverunt.

### D

### §. XXXI.

§. XXXI.

Cessat, & potest evitari infamia ; Quotiescumque judex tam inferior quam superior, Licet nonnulli hoc restringunt tantum ad illum, a quo non appellatur. *vid. Moller. ad Const. Elec. 42. p. 4. num. 17.* ex causa in sententia expressa justa famæ existimationem reo conservet ; *Wesenb. c. l.* nam cum tacite imposita duriore poena famæ consulere possit, ut præced. §. 29. dictum, cur expresse idem non possit justa ex causa, ratio dissuadet nulla. Hinc in injuriis levioribus famam reservandam esse *Brunn. ad L. 4. ff. d. t. n. 6. ad L. 13. ff. eod. n. 10. 11.* tradit, quam & sententiam in Praxi esse receptam testatur *Hahn. ad Wesenb. tit. de injuriis n. 18. Gail. L. 1. obs. 65. n. 6.* & ita sententia fertur, derowegen ist Beklagter/ jedoch ohne Verlelung seiner Ehren Klägern einen Wiederruff zu thun schuldig. *vid. Wesenb. ad tit. de injuriis*, ubi subjicit, hoc humanius esse, ne propter levissimas injurias ex iracundia forte prolatas, multi societatibus, ordine, collegiisque suis ut infames ejiciantur, & alia gravia, quod sæpe fit in conviviis, subsequantur. Porro effugit Reus infamiam hodiernis quidem moribus toties, quoties ille poenam aut jure debitum aut actione expressum ante condemnatoriam offerat sententiam aut nolente adversario recipere apud acta deponat, *juxta L. 19. C. de usuri. L. 9. C. de solutione*; nam infamia per sententiam irrogatur, sententia vero ferri non potest, ubi reus paratus est solvere *L. 73. de procurat. Gail. L. 2. obs. 203. n. 2.* Quo loco questio acriter inter DD. superioribus agitata temporibus, decidenda venit : Quando nempe oblatio facienda sit: utrum ante litis contestationem,

an

an vero etiam post , offerre liceat , usque ad sententiam? Brevibus meam dabo mentem , adstipulans opinioni DD. testantium , licere offerre usque ad sententiam , quam tanquam æquiorem hodie pleræque sequuntur curiæ , vid. Wefenb. c. 1. Quod & in foro Sax. obtainere testatur Matth. Coler. ad c. 32. X. de sent. Et re jud. num. 10. 11.

### §. XXXII.

Liberat a macula infamiae quoque transactio & paætio ante sententiam , authoritate vero judicis facta , L. 6. §. qui jussu d. t. Citra jussum judicis sufficere puto protestationem , se non transfigere , non quod delictum confiteri intendat , sed quod a vexatione litis sese redimat , & sic DD. communiter volunt , quamvis ejusmodi protestatio de jure famam reservet minime . Denique tandem macula ex stupro contracta per subsequens purgatur matrimonium stupratoris cum viatiata , Carpzov. L. 6. Resp. 99. Berlich. p. 2. Dec. 99. Richt. Dec. 80. num. 18.

### §. XXXIII.

Cum vero omnium actionum instituendarum principium ab ea parte Edicti proficiatur , qua Prætor edicit de in jus vocando , Exposit ordo , quædam ut adjiciamus de citationibus , ubi notanda imprimis venit differentia , quæ in jus vocationem & citationem intercedit ; In jus vocatio fieri solebat olim privata authoritate Struv. Exerc. ad n. 5. tb. 3. quæ tam dura ut nihil supra erat , namque actor adversarium obvium reluctantem atque invitum , obtorto , quod ajunt , col-

lo in jus seu tribunal prætoris trahebat, arg. L. 18. de in  
jus vocando L. 5. qui satisd. tenent. Non obstat L. 9. C.  
de bon. autb. jud. posfd. Nov. 112. cap. 3. L. 54. C. de decur.  
textus enim hi ad jus novum collimant; Hinc paren-  
tes & patroni sine veniæ impetracione vocari non de-  
bebant, quia actio alias dabatur prætoria in factum  
pœnalis in jus vocato, aduersus vocantem ad pœnam  
50. aureorum L. 24. ff. d. t. § fin. 3. b. t. Quod si ve-  
ro pecuniam reus forte non habebat, corpore luere  
debebat.

### §. XXXIV.

Causæ, ob quas memorata pœna remittebatur,  
sequentes sunt, 1.) Eliditur hæc actio illam pœnam  
continens annali præscriptione 2.) exceptione pœ-  
nitentiæ, vocatum von venisse, vel ipsum non in-  
vitum, aut tutorio nomine vocatum esse L. 11. ff. b. t.  
Quod etsi verba edicti non patientur, suadet tamen  
ratio, ut eadem hic ~~épitemnia~~ utamur, & pœnitentiæ  
locum demus, sicuti in cœteris L. 1. §. 1. sup. quod quis.  
jur. etiam atrocioribus L. 19. de fals.

### §. XXXV.

Monendum est hanc actionem hodie plane plene-  
que cessare, testante Carpz. p. 1. c. 2. d. 26. quia veniæ  
concessio ipsi citationi, quæ publica peragi solet au-  
thoritate, tacite inest hodie, modo judici indicetur re-  
verentiae vinculum, & verba actoris in factum tem-  
perata civiliter proferantur, ne lœdatur debita reo re-  
verentia, Schilter. Exerc. ad n. 6. tb. 7. Et quod de pa-  
rentibus dixi, idem obtinet hodie in feudi domino.

### §. XXXVI.

### §. XXXVI.

Quod vero olim in jus vocare erat, illud sublatio  
juris & judicij discrimine citare dicitur. Est autem  
citatio Legitima rei ad judicem ipsius jussu facta vo-  
cacio. Tres vero ejusdem sunt partes, una a parte  
judicis citantis permisso seu jussus de citando, quem  
tamen adversae partis petitio in civilibus præcedere  
debet, quia alias citatio foret nulla, secus in criminali-  
bus; Cœterum moneo, quod citatio haud præmisso  
judicis jussu emissa, effectum habeat nullum.

### §. XXXVII.

Reliquæ duæ partes sunt ex parte nuncii, i.) sc.  
commissionis de citando executio, quæ fit vel viva  
voce, vel decreti judicis insinuatione, vel immediate  
in personam in territorio citantis subsistentem, vel  
mediate in personam, quæ alterius subest jurisdictioni,  
per literas rogatorias seu mutui compassus, judex  
enim hoc casu in subsidium juris rogare solet Magi-  
stratum illius loci, ubi degit, citatum ut ad se mittat,  
cum oblatione se in similibus idem facturum, & Ma-  
gistratus hoc imploratus modo citationes exequi te-  
netur illas, sin minus, adversus illum appellari & ad  
hoc a superioribus cogi potest, *Carpz. p. 1. c. 2. d. 27. 28.*  
& in *Proc. tit. 8. art. 3. n. 6.* quoniam jurisdictione una per  
aliam est adjuvanda, & manus ut fricat manum, sic ma-  
gistratus alterius auxilio & manu indiget. Notan-  
dum vero, Consistoria Ecclesiastica citare mediate,  
omissa tamen formula in subsidium Juris vid. *Erléd. der*  
*L. Gebr. de Anno 1612. tit. von Consistorial-Sachsen §. 6.*  
2.) insinuationis relatio, quæ actis inseri debet, ob sen-  
ten-

tentiæ vel totius processus nullitatem *tit. 4. Proc. Ordnung. Appell. Ordnung. tit. von Bothen.*

### §. XXXVIII.

Interim nuncio publica autoritate ad id constituto se citasse affirmanti creditur , quamvis , si talis non habeatur , quoque valeat judex citationem privato cuicunque etiam suo aut alterius famulo committere , *Marant. in spec. tit. de citat. n. 44.* Quæ tamen citationem insinuandi ratio , si insinuationem neget reus , effectum habere vix poterit aliquem , nisi insinuans suam confirmet assertiōnem juramento . Porro insinuatio citationis potest etiam expediri per Notarium instrumentum coram testibus de insinuatione confidentem . *Carpz. in Proc. tit. 7. art. 1. n. 79.*

### §. XXXIX.

Est autem citatio in omni processu ita necessitatis , ea omissa , ut possit nihil cognosci , nihilque statui , & omne id , quod contra factum pro infecto habeatur , nec res judicata authoritatem obtinere queat , quia illa ad judiciū substantiam necessariō requiritur . Est vel *realis* , quæ fit personæ apprehensione & regulariter tantum in gravioribus delictis criminalibus post legitima indicia , nisi reus defuga sit suspectus , aut jam in fuga *L. 10. §. 16. Que in fraud. credit.* vel citatus comparere nolit , *L. 8. C. quemad. & quand. jud.* Hæc enim realis citatio censetur esse injuriosa , unde ab hac abstinentium ; vel *verbalis* quæ aut viva apparitoris voce fit , *mündlich* / aut scriptura *schriftlich*.

### §. XL.

### §. XL.

Verbalis iterum subdividitur in PUBLICAM, qualis est citatio Edictalis, quae fieri solet per edictum foribus templorum & curiarum affixum, hodierno & quidem usu, tribus in distinctis territoriis. Sex vero casus, in quibus illa habeat locum recenset Struv. in Jurispr. Rom. Germ. For. L. 4. tit. 8. §. 5. Et in PRIVATAM, quae, vel in faciem iterum vel ad domum fit vid. Hopp. ad b. t. §. ult.

### §. XLI.

Porro vel DILATORIA seu simplex, qua quis simpliciter i. e. absque præcisa comparitione ad judicem vocatur, sed ulterior non denegatur dilatio, vel PEREMPTORIA, mandans præcisam absque ulteriore dilatione comparitionem, qualis censetur, si comminatio adjecta sit citationi v. g. judicem, citato non comparente, nihilominus cognitum, & pronuntiantur, quod jus & justitia postulat. Quandoque & ipsa vox Peremptorie, v. g. wir citiren Euch hermit peremptorie, additur, quæ citatio quoque intelligitur, quando sic citatur Reus. Ihr werdet sub pena præclusi hermit citiret. Denique tandem citatio, vel est generalis i. e. ad totam causam, hujus generis citationes in judicio Cameræ Imper. decerni solent; vel specialis, ad certum actum Cail. L. 1. obs. 51. n. 10.

### §. XLII.

Citantur, qui non prohibentur, fœminæ, quod & hodie obtinet, pupilli infantia majores arg. L. 1. §. 2. de adm. & per. tut. aut illorum tutores. Procurator de

de jure quidem Communi post Litis contestationem. In Saxonia vero Elector. ipsis principalibus vel ad domicilium eorundem citatio insinuanda , nisi forte absentes aut extranei sint , tali enim casu procuratoribus aut actoribus eorum speciali ad singulos actus directo instructis mandato , fieri potest; vid. *Mand. Elector. de dato Dippoldisylvana d. 18. Febr. Anno 1691.* Citantur in omnibus causis , summarisi & notoriis , nisi causa ita sit notoria , dubitationem omnino ut admittat nullam , & reo prorsus nulla competit defensio , exceptio vel excusatio vid. *Nicol. in Proc. cap. 3. n. 3.* Nec regulariter Princeps de plenitudine potestatis citationaem omittere potest. *Struv. Exerc. 5. ad ff. 1b. 1v.*

#### §. XLIII.

De citatione plurium litis consortium itemque heredum vid. *Proc. Ordnung tit. 4.* Quod vero cit. ord. *Proc. sancitum* , nempe , ut citatio plurium litis consortium , itemque heredum *jedem absonderlich* insinuari debeat , locum invenit minime , quando communitas , civitas vel collegium citatur , sufficit ibidem , collectivo citationem fieri nomine , v.g. citamus Consulem & senatores hujus civitatis , Schultetum & communitatem talis pagi , quoniam ejusmodi nomina collectiva certum constituunt corpus , quod scil. citandum est , & adversus quod actio instituta , quam ergo citationem , ut singuli excipiant , necesse non est. vid. *Dn. Zieg. in Not. ad prealleg. ord. Proc. ad verba. Mehr Litis conforten.*

#### §. XLIV.

Exigit citatio ratione conceptionis (i.) nomen judi-

judicis sive ordinarii , quo sufficit nomen dignitatis & officii : **wir Bürgermeister und Rath der Stadt ;** **Wir Richter und Beysitzer /** sive delegati , cuius proprium exprimendum est nomen , insuperque copiam delegationis suæ citationi inferere debet , de hac ut constet citato . ( 2. ) nomen actoris ( 3. ) nomen citandi . Quod cum nomine & cognomine est exprimendum & si contra factum , non valet citatio , *Ord. Cam. p. 1. tit. 22.* si plures rei , omnes & singuli ( 4. ) causam ob quam citatio fit ; in criminalibus tamen hæc , ne præparationi ad mendacia præbeat , consulto omitti potest , *Schæffer. ad ff. de in jus vocando. num. 18.* ( 5. ) Locum , qui debet esse tutus & honestus , in ordinariis judicis sufficit , si dicatur : **für uns zu erscheinen /** ( 6. ) tempus non nimis angustum , in dilatoria citatione jure civili X. dies , *L. 69. ff.* de judicis , in Camera est arbitrarium , in Sax. VI. septim. & III. dier. ad hoc nempe , ut sententia præclusiva ferri queat , in Comminatoriis & condemnatoriis in expensas tempus trium septimanarum integrarum satis est , vid. **das Appellat - Patent.** *de A. 1670.* Nec feriatum , quod si expresse ad feriatum fiat , sententia est nulla ; si vero forte fortuna incidat in ferias , receptum in Praxi est , quod comparere debeat die non feriato sequenti . Stryk . *in Introd. ad Prax. For.* id quod citationi in Camera nominatim his verbis : **Also Laden wir Euch auff den Tag / und dasern derselbe kein Gerichts- Tag seyn würde / auff den nachfolgenden / inseri , refert Blum. in Proc. Cam. cap. 65. num. 27.**

E

Cœ-

Cœterum secundum *Constit. D. Augusti 1. & Resol.*  
*Grav. tit. von Justitien-Sachsen.* §. hätte aber zum  
achten / citantur litigantes alternative, nemlich/  
zur Güthe oder in Entstehung derselben zu recht-  
lichen Verfahren / unde si præcise fiat zu rechtli-  
chen Verfahren/ citatio tanquam male formata  
non valet.

### §. XLV.

Quo loco operaे pretium esse censeo, mentio-  
nem facere quæstionis: Utrum citatio invalida  
convalescat comparitione & nec comparens ex-  
cipere posit citationem esse illegitime factam?  
Id indefinite volunt *Mynsing. Cent. 2. obs. 81. Gall. L. 1.*  
*obs. 48. num. 4. & obs. 58. num. 2.* Contrarium vero  
defendere conatur. *Dn. Zieg. in not. ad Ord. Proc.*  
*Sax. tit. 4. verb.* Seine Nothdurft zubedenken  
haben möge scribens', duplicum effectum sive fi-  
nem habere citationes, puta comparitionem, & de-  
liberationem rei, id circa certus terminus nec ni-  
mis angustus, Lege definitus publica constitui, solet,  
quo deliberare secum queat reus, cedere an contendere  
velit; Hoc recte non observato, comparens  
potest opponere exceptionem, citationem illegiti-  
mo modo esse factam, quoniam per comparitionem  
nec corrigi potest, illud vitium, quod citatus  
non habuerit legale tempus, darinnen er seine  
Nothdurft zubedenken hat. Talem imo ex-  
ceptionem admittit diserte Sereniss. Sax. Elect.  
In der Process-Ordnung Tit. 4. in verb. und densel-  
ben nicht erst hernach per sententiam zu erkennen  
bitten

bitten dūrset. Cujus altera rejecta sententiam  
jure fundatam elegi.

### §. XLVI.

Effectus citationis est, ut præscriptionem &  
jure novo etiam usurpationem interrumpat, *L. 7.*  
*C. de præscript. 30. vel 40. ann.* quamvis citatio, ut ci-  
tatio pro non facta habeatur, veluti cum reus ab  
instantia absolvatur, cum actio tanquam inepta re-  
jiciatur, vel Terminus pro circumducto habeatur,  
quoniam citatio simul respectum & effectum de-  
nunciationis & protestationis judicialis habet, mo-  
do a judice competente facta sit, citatio. Nam  
ab incompetentे factam ad effectum interrum-  
pendæ præscriptionis non sufficere, recte judica-  
vit *Carpzov. Lib. 6. Resp. 114.*

### §. XLVII.

Operatur præventionem, eo videlicet casu,  
quo judex, qui citavit, concurrentem cum alio ju-  
risdictionem habet, quamvis non tollat declina-  
toriam exceptionem, *L. 5. ff. de judic. L. 2. Si quis*  
*in jus voc.* Perpetuat jurisdictionem delegatam,  
*L. 6. ff. de Jurisdicç. quod etiam de jure Can. ob-*  
*tinet per cap. 19. 20. de offic. delegati Clem. 2. ut lite*  
*pendente.* Perpetuat etiam secundum hodiernam  
Praxin, qua omnis præscriptio interrupitur ci-  
tatione, actionem temporalem, non vero de jure  
civili, arg. *L. f. ff. si fidejuss. & nomin. tut.* neque de  
jure Canonico, modo citatio judicialis sit, quæ fit

prævia libelli oblatione ad causam in judicio ventilandam & decidendam , non vero id exaudiendum est, de citatione ad processum extrajudicarium, vulgo zur Verhör der Sachen. *Carpzov.*  
*p. 2. cap. 7. d. 5. n. 1.* Berlich. *p. 2. concl. 9. n. 23.*

### §. XLVIII.

Denique si citatus non compareat , jure civili mulctam incurrit , *L. 2. §. 1. si in jus voc.* quamvis satis punitus videatur missione in possessio-  
nem bonorum , *L. 19. ff. de in jus voc. & t. t. ff. Ex quis. caus. in poss. eat.* Quam pecnam hodienum etiam a Magistratu infligi posse, ostendit *Habn. ad Wefenb. tit. ff. si quis in jus vocat.* & hæc pœna regulariter est arbitraria & pecuniaria pro qualitate contumaciæ. In foro Sax. contumacia sic coer-  
etur , quod pro facto habeatur, quod facere ci-  
tato per sententiam injunctum est. *Dn. Stryk. in Not. ad Lauterbach. d. t. verba Pœnam hodie Sigillatim, cum actor in præfixo termino non compa-  
reat, reus ab instantia absolvitur, simulque ei ad-  
judicantur expensæ ab actore præstandæ, cui nec aditus ad judicem recluditur, nisi præstitis istis expensis, & simul , si petita fuerit, de lite prose-  
quenda cautione. Quod si reus in termino præ-  
stituto non compareat , primo condemnatur ac-  
tore sic petente ad Legitima impedimenta ( bis  
auff Ehehaft und behelfliche Wiederrede ) quæ si rite probaverit , pro contumace non habetur,  
sed causa in pristinum statum reddit;* Sin vero nul-  
la

la legitima impedimenta demonstrare posit, aut  
ulterius emaneat contumaciter , condemnatur  
tanquam confessus ad executionem ( bisz auß die  
Hülffe / ) secundum petita libelli vid. ordin. Proc.  
Saxon. tit. 10. §. im Fall conf. Schvvendendorff. ad  
Proc. Fib. pag. m. 864. ubi Laudatus author addit,  
quæ poena contumacia extraordinaria in Foro  
Sax. frequentetur.

### §. XLIX.

Quæritur vero : an ille, quem citandum cura-  
vit incompetens judex, teneatur citationi præsta-  
re paritionem , an vero posit emanere impune ?  
Resp. distincte, aut notoria est incompetenta ju-  
dicis & sic non paretur impune L. 6. de jud. aut  
in dubium vocari potest, an jurisdic<sup>t</sup>io in voca-  
tum fundata fit , nec ne , & tunc comparere de-  
bet L. 5. ff. si quis in jus voc. ut judex cognoscat,  
an sua sit jurisdic<sup>t</sup>io L. 2. pr. b. t. Et hoc casu  
perutilis est protestatio , quod non aliter reus,  
quam in quantum de jure teneatur respondere  
& in honorem Magistratus comparere velit ; si  
cognoverit, se competentem non esse, absolvit re-  
um ab illa instantia ( quæ tamen abusive hic dici-  
tur,) hac formula: Auß eingewante Exception  
und ferneres richelches Vorbringen ist zwischen  
N N. der Bescheid / daß diese Sache vor dieses  
Gerichte nicht gehörig. Inmassen wir denn / den  
Beklagten von diesen Gerichts-Zwang entbinden/  
den

den Klägern aber zu Erstattung derer Unkosten  
dieses Termins hiermit vertheilen.

§. L.


Expirat citationis Legitime factæ vis per circumductionem , qua vel utroque litigantium emanente , vel judice absente aut impedito L. 73. §. 1.2. ff. de judic inutilis redditur citatio , Schvvendend. ad Proc. Fibig. p. 154. Atque hæc sunt, quæ pro ingenui mei tenuitate de hoc titulo differere , Tu quoque judicio subjicere placuit Lector Benevole, quæ omnia, ut æqui bonique consulas, ea, qua decet, humanitate rogo a Te atque omnem in modum contendeo. Interim

*Gloria sit soli, quo coepimus Auspice cursum,  
Et portum attigimus, vela regente  
Deo.*

F I N I S.







Wittenberg, Diss., 1702 S-2-  
1703



f


v218

1012



B.I.G.

Farbkarte #13



40bs.

EXERCITATIO JVRIDICA,  
AD TIT. INSTIT.

DE

# POENA TEMERE LITIGANTIVM,

Qvam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
ELECTORATVS SAXONICI HEREDE,  
ETC. ETC.

IN ELECTORALI AD ALBIM ACADEMIA,

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO,

DN. GODOFREDO STRAUSSIO,

JCTo & Antecessore longe Celeberrimo Potentiss. Regis Polon. &  
Electoris Sax. in Summo Provocat. Senatu , nec non Serenissimorum Principum  
Anhalt. Servestan. Consiliario Aulico Splendidissimo, Facult. juridicæ in hac Universi-  
tate Ordinario, Decret. Prof. Publ. Curia Elector. Consistorii & Scabinatus.  
Affessore Gravisimo ,

Domino & Patrono suo observantissime colendo ,

In Auditorio JCTorum ,

Ad Diem XI. Octobris, An. 1703.

Publicæ ventilationi subieciet

AUCTOR & RESPONDENS

GOTTLOB BENJAMIN FRIZSCHE,

Pirn. Misn.

VITEBERGAE, PRELO CHRISTIANI GERDESIL

31  
1703 8-  
15-

